



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 63. Plecitur falsus Episcopus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. ptionem voluisse nullam, ac Episcopo Gra-  
A. C. 1392. tianopolitano tanquam Abbati paruisse  
 suo. Itaque primus eis titulus exemptio-  
 nis obvenit per istud Bonifacii IX diplo-  
 ma datum 16 Martii an. 1391.

Ejusdem Papæ ad Regem epistola 2  
*Spicil. to. 6.* Aprilis anno sequente scripta est in hanc  
*p. 54.* sententiam. Scimus te genere schilima  
 tamdiu discerpens Ecclesiam, ac negligenti-  
 am Principum, qui renovare concordiam  
 deberent. Habes præterea cunctas dotes  
 tantum ad molimen necessarias, ortum ex  
 genere antiquissimo, exempla majorum  
 suis de Ecclesia meritis illustrium, ingenium  
 perspicax, animum magnum, corpus fir-  
 mum, ætatem viridem, judicium matu-  
 rum, opes ingentes, famam clarissimam.  
 Igitur hortamur te, ac per Christi miseri-  
 cordiam obsecramus, ut causam Dei con-  
 festim suscipias, & constanter defendas.  
 At Rex haud leviter mutatus erat, cum  
 has acciperet litteras.

## §. LXIII.

*Pleditur falsus Episcopus.*

*M. Chr.* Interim Ultrajecti affectus supplicio fuit  
*Belg. p. 325.* deceptor diu pro Episcopo habitus.  
 Erat ex Ordine Minorum, se dicebat Jaco-  
 bum Juliacensem, & falsum per diploma  
 pontificium fecerat, ut crederetur Episco-  
 pus esse, ac Florentius tunc Ultrajectinus  
 Antistes ipsum sibi suffraganeum ascisce-  
 ret.

ret. In hac dignitate creabat Sacerdotes, conferebat cunctos fere Ordines, dedicabat templa, cæteraque omnia Episcoporum munia obibat. Detecta denique falsitate diplomatis e numero illorum, quos sacerdotio, aliisque Ordinibus sacris inauguraverat, multi manebant in statu laico, ducebantque uxores: alii meliore consilio se denuo consecrandos curabant per veros Episcopos ex consensu Ultrajectini: qui Papæ jussu convocatis in urbem suam septem aliis Episcopis captum falsarium die S. Hieronymi 30 Sept. an. 1392 solenniter in foro exauguravit; tum tradidit urbis Consulibus. Hi eum damnabant ad ahenum, scilicet, ut in ferventem aquam paulatim immitteretur: at ob sacros Ordines, quos acceperat, & quod esset Religiosus, ex aheno mox extractum securi percuti jussere. Præsul Florentius eum in cœmeterio Dominicanorum humari passus est.

## §. LXIV.

*Continuatur negotium concordia.*

Duo Carthusiani, quos Papa Bonifacius in Galliam misit, erant Petrus natione Lombardus Astensis Prior, & Bartholomæus Prior in insula Margarita, quem alter sibi focium adsciverat. Papa volebat eis jungere clarum Doctorem Juris æquitatem causæ suæ defensurum: at Petrus illi exponebat, negotia religionis tractanda esse

Sæcul. XIV.  
A. C. 1392.

Labour l. 12.  
6.7.